

non dicitur cognitio ipsa prophetica, sed cognoscens dicitur propheta, quia cognitio illa clara, et aperta, nec procul distans a rebus cognitis est in subjecto habente statum viatoris perfectum, qui status procul est a rebus ipsis, et ideo quasi extrinsece dicitur esse procul, non intrinsece, scilicet ratione status subjecti, non ratione cognitionis, et sic cognitio cum tali statu denominat prophetam extrinsece, id est, ratione status extrinsece adjuncti, et ex parte subjecti se tenente: hac enim conditione extrinseca adjuncta ipsa cognitio comprehensoris, sive sit scientia beata, sive infusa (utraque enim invenitur in statu comprehensoris) prophetam denominat, licet in se intrinsece non sit cognitio prophetalis, sed cognitio cum conditione status prophetici. Et quando S. Thomas docet non convenire beatis gradum aliquem prophetiæ, 2-2, quæstione cxxxiv, articulo v, loquitur de visione beatifica in statu beatifico, non in statu viatoris.

XXXIV. Secunda solutio, quam insinuat D. Thomas est, quod fuerit in Christo Domino cognitio prophetica intrinsece, et essentialiter, quatenus in parte imaginativa formabantur similitudines prophetiæ, quibus speculari poterat divina: ubi intellige, quod cum duo concurrant ad prophetiam præsertim imaginariam, alterum ex parte intellectus, quod pertinet ad iudicium, quod propheta format de rebus revelatis; alterum ex parte imaginationis quantum ad similitudines imaginarias, quibus res revelatæ involvuntur, in Christo Domino non fuit lumen propheticum ex parte intellectus quantum ad iudicium, quia lumen illud intellectus, quo ferebat iudicium de rebus revelatis, erat per se independens a phantasmatis, et consequenter pertinebat solum ad scientiam infusam, vel beatam,

non autem ad aliquod tertium lumen prophetale, quod vel testimonio dicentis inniteretur, vel a repræsentatione phantasmatum dependeret. Ex parte autem similitudinum partis imaginativæ, ad quas poterat se convertere Christus, si volebat, formabantur similitudines prophetiæ, in quibus speculari poterat divina, et talis speculatio dicitur intrinsece prophetia, non ex parte iudicii, sed ex parte imaginariæ repræsentationis, unde sequitur, quod in ipso iudicio nullam obscuritatem, vel imperfectionem habeat prophetia in Christo; ex parte autem imaginationis, habet communem imperfectionem cognoscendi per phantasmata, quæ naturam humanam consequitur.

XXXV. Sed tunc restat duplex difficultas. Prima, quia non est de ratione prophetiæ illa conjunctio ad imagines sensibiles, si quidem supremus gradus est prophetiæ intellectualis, quæ divinas veritates speculatur sine visione imaginaria, ut S. Thomas docet 2-2, quæstione clxxiv, articulo iii: ergo cum in Christo debeat poni summus gradus prophetiæ, non oportet, quod per ordinem ad imaginarias similitudines sumatur in eo ratio prophetiæ. Secunda, quia si sufficit conversio ad formas imaginarias, ut dicatur cognitio intrinsece prophetia, sequitur, quod modo Christus Dominus in statu beatifico sit propheta, et similiter post resurrectionem aliqui beati, si quidem formant phantasmata, et imaginarias similitudines, in quibus speculari possunt divina, et tamen in illo statu non datur aliqua prophetia, dicente Paulo I Corinth. xxiii: *Sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt.*

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXXVI. Ad primum respondetur, quod conjunctio ad imagines sensibiles cum dependentia ab ipsis in formando iudicio importat imperfectionem in cognitione prophetica; si autem formetur iudicium intellectuale per lumen de se independens ab istis sensibilibus, tamen utens illis, quia vult, et quando vult accomodando se connaturali modo cognoscendi in hac vita, nihil derogat de perfectione cognitionis, nec reddit illam intrinsece ænigmaticam, id est, dependentem ab ænigmate, sed superiorem ænigmate, et illo utens ad libitum, tamquam sibi ministrante, sicut potest uti scientia infusa discursu, et phantasmate, ut sanctus doctor docet hic articulo ii et iii. Et sic illa prophetia Christi simpliciter est intellectualis, quia ex parte iudicii, et luminis est independens ab imaginaria visione; habet tamen multum imaginariæ prophetiæ, quatenus utitur similitudinibus imaginativæ, quod imperfectionem non importat.

XXXVII. Ad secundum dicitur, quod in statu beatifico post resurrectionem non utentur beati formis imaginariis eo modo, quo in statu viæ, quia tunc repræsentabuntur sensibilia; non ut deserviunt discursivæ cognitioni qua divina, quasi in speculo videmus ex effectibus abstractivæ colligendo, sed repræsentabuntur corporalia quatenus conjunguntur intellectui intuenti in illis præsentiam divinam, sicut dicit S. Thomas prima parte, quæst. xii, articulo iii ad secundum, quam statim visis corporibus divina præsentia ex eis cognoscetur per intellectum: unde in statu beatifico, quia phantasmata non deserviunt abstractivæ cognitioni divinatorum, sed solum

conjunguntur intuitivæ, non deserviunt ad formandas similitudines propheticas, quæ sunt procul a divinis. Quia tamen in Christo pro statu viæ formabantur phantasmata, ut deserviunt viatoribus ad speculandum divina, quasi abstractivæ et in speculo, ideo similitudines imaginariæ in Christo viatore deserviabant cognitioni prophetiæ.

ARTICULUS III.

Utrum res naturales per hanc scientiam cognoscuntur?

I. Tribui solet Scoto et Durando in iii, dist. xiv, quod negaverint Christum cognoscere per hanc scientiam res naturales, non quia eas exemerint a cognitione scientiæ infusæ, sed quia non distinxerunt scientiam infusam ab acquisita quantum ad cognitionem rerum naturalium, existimantes scientiam solum dici infusam ratione causæ efficientis, quia est infusa ut est producta a Deo: non ex parte rationis formalis, quasi sub alia ratione cognoscat scientia infusa, quam acquisita. Et quod scientia infusa non cognoscat res naturales per se loquendo, in eo fundari videtur, quia scientia per se infusa non convenit animæ, secundum potentiam naturalem, sed secundum obedientialem, quia ipsa in se supernaturalis est quoad substantiam, et sic non potest convenire intellectui secundum naturalem potentiam: ad cognoscendas autem res naturales intellectus est in potentia naturali, cum sint objecta sibi proportionata; ergo non indiget scientia quæ sit per se infusa, et quantum ad substantiam, et rationem formalem cognoscendi.

II. Quod si dicatur, res naturales

esse quidem cognoscibiles naturali lumine, sed non eo modo, quo per scientiam infusam, contra est, quia sic illa scientia erit infusa quoad modum, non quoad substantiam, si quidem solum habet cognoscere res naturales alio modo.

III. Cæterum aliunde magis potest instari ex doctrina patris Vazquez III parte, disp. III, cap. I, quia species repræsentantes res naturales in scientia infusa non possunt esse supernaturales ex parte objecti, et rationis formalis repræsentandi, sed solum ex parte modi, quia a solo Deo modo sunt infusæ effective: ergo et ipsa scientia simpliciter est ordinis naturalis. Antecedens probatur, quia species repræsentantes rem naturalem, verbi gratia, hominem, aut leonem, non habent ex parte objecti aliquid supernaturale, quod repræsentent, sed habent pro immediato, et proprio objecto rem ipsam naturalem, alioquin si rem supernaturalem repræsentarent simul cum naturali, non possent per hanc scientiam cognosci res naturales distincte, et seorsum a supernaturalibus. Nec potest intelligi quomodo detur species supernaturalis quoad substantiam repræsentans solum hominem, aut leonem; quidquid enim repræsentat rem naturalem tamquam proprium, et adæquatum objectum, species naturalis est. Si autem species naturales sunt quantum ad substantiam, ipsa scientia, quæ tales res naturales cognoscit per has species, non erit supernaturalis quoad substantiam, nec per se infusa, si quidem penes species distinguuntur habitus istius scientiæ, ut D. Thomas docet in hac quæstione, articulo sexto.

IV. Præterea, vel istæ species infusæ repræsentantes res naturales sunt universaliores, quam species angelicæ repræsentantes easdem res naturales, vel minus universales.

Primum dici non potest ex sententia S. Thomæ, qui in hac quæstione, articulo sexto, expresse ponit, quod species infusæ in Christo sunt minus universales, quam species angelicæ. Si dicatur secundum: ergo illæ species infusæ magis limitatæ sunt quam species angelicæ, et cum species Angelorum solum repræsentent res naturales, non poterant species infusæ Christi repræsentare aliquid naturale, et supernaturale simul; sic enim minus limitatæ essent, et consequenter magis universales.

V. Præterquam quod in hoc modo dicendi, quod species sint minus naturales, non sufficienter explicatur, quomodo Christus Dominus cognoverit singularia; nam vel cognoscit singularia in naturis specificis, aut genericis, et sic habet species æque universales, atque Angeli; aliqui enim Angelorum saltem inferiores non vident singularia nisi in naturis specificis: vel pro quolibet singulari habet speciem repræsentativam illius, et sic præterquam quod ponitur infinita fere multitudo specierum, non congruit hoc modo cognoscendi intellectui, qui respicit res in universali, et non in singulari: vel denique cognoscit singularia per reflexionem sicut nos, quod est imperfecte cognoscere, et dependenter a phantasmatis, non per species exemplatas a Deo.

VI. Denique, cognitio singularium non est Christo necessaria propter perfectionem intellectus speculativi, quia ad ipsum non pertinent singularia, sed propter perfectionem intellectus practici; ad hoc autem sufficit cognoscere omnia singularia agibilia, non autem omnia individua in universum, verbi gratia, omnes arenas maris, omnia quæ sunt in visceribus terræ, etc. Hæc enim ad prudentiam, vel ad artem non spectant; omnia autem

agibilia reducuntur ad artem, et ad prudentiam; per hæc enim duo dividuntur adæquate habitus practici.

VII. Contraria sententia est aperte D. Thomæ in hac quæstione, articulo primo, dum inquit: « Quod per hanc scientiam inditam cognovit Christus quidquid ab homine cognosci potest per virtutem intellectus agentis, sicut quæcumque pertinent ad scientias humanas. » Constat autem per scientias humanas, et virtutem intellectus agentis cognosci res naturales; ergo si scientia ista per se infusa cognoscit omnia, quæ pertinent ad scientias humanas, et ad virtutem intellectus agentis, necesse est quod cognoscat res naturales. Et D. Thomam sequuntur communiter omnes ejus expositores super hunc articulum; videri potest hic Cajetanus; Suarez disp. xxvii, sect. I; Cabrera disp. II; Lorca disp. XLIV, et alii.

VIII. Et quidem quod attinet ad aliquas res naturales, quæ nullo modo possunt concipi quidditative per scientiam acquisitam, et ministerio sensuum, sicut sunt naturæ spirituales, non est dubium, quod per hanc scientiam infusam debent intelligi, alioquin careret Christus Dominus perfecta, et quidditative cognitione illarum extra Verbum.

IX. Deinde probatur universaliter de omnibus rebus naturalibus, quia Christus Dominus debet intelligere res naturales, non solum eo modo, quo intelliguntur ab anima conjuncta, sed etiam ab anima separata; neque enim est ratio cur careat eo modo cognoscendi, quo anima separata cognoscit, cum ad id habeat naturalem potentiam, et de facto quando fuit separata anima Christi sic intellexit; neque erat conveniens tunc de novo ei infundi illam scientiam, sed a principio debuit esse plenus omni scientia. Anima

autem separata intelligit res naturales per species infusas eo modo, quo infunduntur Angelis, quia tunc caret sensibus, quibus acquirat species; habuit ergo Christus Dominus scientiam per se infusam respectu rerum naturalium, excellit autem hæc scientia infusa eam, quæ communiter infunditur animabus separatis, aut etiam Angelis, quia clarius, et certius illis intelligit res naturales, imo in ipsis rebus naturalibus plura intelligit, quam nec anima separata, nec Angeli per suas species naturales cognoscere possunt; unde species infusæ animæ Christi excedunt omnem naturalem modum aliarum specierum, ut explicavimus solutione ad secundum, quod est habere species supernaturales respectu rerum naturalium, et hæc probatio desumitur ex D. Thoma articulo primo hujus quæstionis, solutione ad secundum, adjuncto articulo quinto.

X. Denique probatur hæc sententia, quia Christus perfectissime cognoscit per scientiam infusam totum ordinem gratiæ, cui subordinatur totus ordo naturæ; ergo ad intelligendum perfecte ordinem gratiæ necesse est intelligere res naturales, tum illas, quæ possunt esse subjectum gratiæ; tum illas, quæ subordinari possunt ordini gratiæ, et circa quas potest operari ordo gratiæ, faciendo miracula, aut illis utendo ad finem supernaturalem. Extenditur autem gratia miraculorum ad omnem naturam, quia ut determinat D. Thomas infra quæstione XIII, articulo II, anima Christi ut instrumentum Verbi potest facere immutationes circa omnes creaturas, quæ in cælis sunt, sive in teris: ergo oportet quod omnia illa cognoscat, quorum naturas potest immutare; unde ex vi cognitionis totius ordinis supernaturalis debet cognosci ordo rerum naturalium,